Dilexi monitus. nunc quam feritate dolentis
Non egomet tacitos veneris furata calores
Culpandamve facem. tua iura tuosque verendos
Despicio questus. nescis pater optime nescis
Quantus amor causae misero nupsisse marito.
Et nunc maesta quidem grave et intolerabile munus
Ut timeam doleamque rogo. sed cum oscula rumpet
Maesta dies. cum rauca dabunt abeuntibus armis
Signa tubae. saevoque genas fulgebis in auro.
Ei mihi care pater iterum fortasse rogabo
Illius humani carpens pater oscula vultu;
Nec quidem has unquam culpari nata querelas.
Pone metus. laudanda rogas. nec digna negari.
Sed mihi multa dei. nec tu sperare quod urges
Desine. et multa metus regnique volubile pondus
Sed ubicumque animo veniet quam debitus istis
Nata modus. nec te incassum flevisse queretis.
Tu solare virum. nec sint dispendia iuste
Dura morae. magnos cunctamen nata paratus
Perficit bello. Sed dicentem talia nascens
Lux movet et ingentesque iubent assurgere curae;

Mox septem bellona viros in proelia cogit.
Primus init bellum maestus longaevus Adrastus.
Atque gener fulgens patriis ducitur in armis.
Hinc ferox animi Tydeus iam saevit in hostem.
Hinc ceruleam Hippomedon pubem movet inclitus armis.
Et Capaneus atrox Thebas exscindere quaerit.
Oeclides vates quamvis iam perfida prodit.
Parthenopeus init trepida genitrice maniplos;
At contra Ethiocles Thebanos instruit armis.
Hic cum Tyresias infernas consulit umbras.
Argivisque sitim Bacchus molitur et aestum.
Ysiphile monstrat lymphas Langie perennes;

Tertius horrentem zephyris laxaverat annum
Phebus et angustum cogebat limite verno
Longius ire diem. cum fracta impulsa fatis
Consilia. et tandem miseri data copia belli.
Prima manu rutilam de vertice Larisseo
Ostendit bellona facem. dextraque trabalem
Hastam intorsit agens. liquido quae stridula caelo
Fugit. et Aoniae celso stetit aggere Dirces.
Mox et castra subit. ferroque auroque choruscis
Mixta viris turmale fremit. dat euntibus enses.
Plaudit equos. vocat ad portas. hortamina fortes
Praevenere. timidisque etiam brevis addita virtus.
Dicta dies aderat. caeditur ingens rite tonanti:
Gradivoque pecus. nullisque secundus in extis
Pallet. et armatis simulat sperare sacerdos.
Iamque suos circum pueri innuptaeque patresque
Funduntur mixti. summisque a postibus obstant.
Nec modus est lacrimis. rorant clipeique iubaeque
Triste salutantum. et cunctis dependet ab armis
Suspicienda domus. galeis iuvat oscula clusis

SLUB Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id281374570/63
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG